



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Sectio I. Pœnitentiam esse propriè virtutem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)



TRACTATUS DE POENITENTIA, VIRTUTE.



DOCTRINA quæ ad POENITENTIAM spectat, duas habet partes principales: altera est de Poenitentia virtute, altera de Sacramento Poenitentia: Et quidem S. Thomas 3. part. cum non ageret de virtutibus, sed de sacramentis, neque aliter de virtute Poenitentia disputaret, nisi quatenus erat pars sacramenti Poenitentia, merito præmisit aliquid de sacramento, quæst. 84. ut postea q. 85. ageret de virtute usque ad quæstionem 89. quæstione verò 90. iterum redit ad sacramentum, ubi felici morte occupatus disputationem imperfectam reliquit.

Ceterum si ad claritatem doctrinæ attendamus, longè commodior videtur methodus Francisci Suarez, & aliorum, qui prius de virtute Poenitentia, postea de sacramento disputant. Illa enim prior pars omnino præcindit à posteriori, & habet se sicut ratio superior, cum possit reperiri virtus poenitentia sine sacramento, & non è contrà: Ordo autem doctrinæ postulat, ut prius ab vniuersalioribus incipiamus. Incipiemus itaque à virtute poenitentia, ubi de eius obiecto formali, & materiali, de actibus, de habitu, de subiecto, & de effectibus. Postea ad alteram partem de sacramento, quæ ferè tota moralis est, gradum faciemus.

DISPUTATIO PRIMA,

Vtrum Poenitentia sit virtus?

SECTIO PRIMA,

Poenitentiam esse propriè virtutem.

SECTIO SECUNDA.

Vtrum actus odij, aut detestationis possit esse virtuosus, & honestus ex obiecto: ubi, an possit dari actus mere fuge, qui non sit amor obiecti.

DE hoc S. Thomas in præsent. art. 1. Et quidem non agimus de dolore partis sensitivæ, qui potius est effectus Poenitentia, quam Poenitentia, & cion non possit rendere in honestum, non potest esse virtus, sed passio; quomodo ergo est de poenitentia prout dicit aliquid pertinens ad partem rationalem: nec etiam dubitamus de habitu in tota sua latitudine, ille enim habet plures actus, de quibus dubitari non potest, quin sint honesti, & virtuos; sed solum loquimur de poenitentia prout est dolor, & edium peccati præteriti, an ut sic possit inducere rationem virtutis.

SECTIO I.

Poenitentiam esse propriè virtutem.

Non desunt, qui velint Poenitentiam non esse simpliciter, & absolute virtutem, sed solum secundum quid. Ita Caietanus secunda secunda quæstione 144. art. 1. & alij quos refert Bonaventura, in 4. distinct. 14. 1. part. 1. quæst. 1.
P. Ioan. de Lugo, de Poenitentia

Communis tamen, & vera sententia affirmat, esse virtutem simpliciter cum S. Thoma in præsent. art. 1. quem sequuntur ceteri Theologi: & quidem vix potest in hoc esse quæstio nisi de vocibus, quas tamen debemus usurpare iuxta communem usum sacre Scripturæ, & Patrum, qui de poenitentia non aliter ac de aliis virtutibus loquuntur. Vide loca apud Valentiam in præsent. puncto 1. Ratione item constat; quia actus honestus, & virtuosus ille

A. 11.

est, qui procedit iuxta regulas rationis in genere moris: Talis autem est actus Pœnitentiæ; alioquin Pœnitentia neque esset in præcepto, neque in consilio, neque esset meritoria, vel placeret Deo, cuius oppositum colligitur ex sacra Scriptura.

2. *Objectiones.*
Contra hanc veritatem sunt nonnullæ objectiones, ex quarum solutione melius intelligitur. Prima est ex Aristotele 2. *Ethic. c. 7. & lib. 4. c. ult.* dicente. Verecundiam non esse virtutem, quia supponit turpitudinem in eo, qui verecundatur; ergo nec pœnitentia erit virtus propter eandem rationem.

3. *Verecundia an sit virtus.*
Dicunt aliqui, verecundiam esse virtutem, quatenus est passio, non quatenus est actus deliberatus. Ita P. Salas *in 1. 2. ar. 1. disp. 4. sect. 7.* Sed contra hoc est, quod idem potuisset dici de Pœnitentia. Item ratio Aristotelis procedit etiam de actu deliberato, cum hic etiam supponat turpitudinem.

P. Valquez in præsentia dub. unic. ingenuè fatetur, errasse Aristotelem excludendo verecundiam à ratione virtutis, eo quod peccatum supponat: addit tamen ipse Valquez posse excludi, eo quod verecundia sit timor infamiæ ex affectu æstimationis, & honoris proprii pronuntiens, qui timor non videtur de se laudabilis. Hæc etiam solutio non placet, quia licet timor ille infamiæ non sit laudabilis, quando nimis est: si tamen sit moderatus, non est cur non sit laudabilis, & honestus, cum etiam iubeamur curam habere de bono nomine: ergo per se loquendo pertinet ad virtutem, sicut alij affectus honesti.

4. *Instantia contra solutionem.*
S. Thomas in præsentia dicit, verecundiam non esse virtutem, quia supponit turpitudinem præsentem, de qua erubescimus: Pœnitentiam verò supponere peccatum solum præteritum: non potest autem esse virtus, cum qua potest stare præsens turpido.

Hanc solutionem impugnatur Valquez, quia verecundia potest etiam esse de turpitudine præterita: & pœnitentia de peccato ferè præsentem: cum possit aliquis incontinenti pœnitere: utraque tamen impugnatio facile soluitur: quia pœnitentia non potest esse de peccato omnino præsentem, sed præterito saltem tempore proximè antecedenti, quod sufficit ad hoc, ut cum pœnitentia non possit durare turpido præsens. Item licet pudor possit etiam esse de præterito, sed tamen ex se non repugnat ei, quod sit de præsentem, quare ex se non repugnat turpitudini.

5. *Instantia contra solutionem.*
Sed adhuc posset aliquis instigare contra solutionem; quia non repugnat, quod sit aliquis actus honestus supponens eo modo turpitudinem præsentem: Nam pone aliquem eo ipso instanti, quo ex ignorantia culpabili peccat, habere revelationem sui peccati præsentis: hic posset tunc credere, quod peccat propter revelationem divinam: Ecce ille actus fidei, & voluntas credendi est actus honestus, & supernaturalis: & tamen non solum non petit peccatum esse præteritum, sed potius, petit illud esse præsens: alioquin non esset vera revelatio: ergo non est contra rationem virtutis supponere peccatum præsens. Item potest quis, cum actu peccat, ex cognitione peccati humiliare se, & velle deprecari Deum, ut det illi maiores vires ad resistendum tentationi: hæc enim voluntas non repugnat cum peccato præsentem, sed supponit peccatum, præscindendo ab eo, quod sit præsens, vel præteritum: & tamen est voluntas bona, & honesta: nam honestum est, quod peccator, etiam dum actu peccat, humiliet se, & ex cognitione suæ fragilitatis petat à Deo maiores vires ad resistendum: ergo non est contra rationem virtutis, supponere turpitudinem præscindendo à præsentem, vel præterita, neque ex hoc capite excludenda est Verecundia à ratione virtutis.

Aliter ergo explicanda videtur ratio S. Thomæ & dicendum, Verecundiam non esse virtutem, quia

eius actus non est efficax, sed inefficax circa suum obiectum: non licet sit timor infamiæ, quæ ex turpitudine oritur: non tamen est fuga efficax, sed talis, cum qua potest stare amor efficax ipsius turpitudinis. De ratione autem actus virtuosus est, quod ita efficaciter feratur in obiectum honestum, ut non possit simul voluntas velle efficaciter turpitudinem oppositam, quis enim dicat, esse castum illum, qui habet displicentiam aliquam inefficacem circa luxuriam, si tamen habet simul voluntatem efficacem fornicandi: non nego, eum actum posse habere aliquam bonitatem, quia si liber est, bonus esse posset: sed dico, non habere appellationem virtutis simpliciter & absolute: ita similiter non operatur virtuosè, qui timet infamiam ortam ex turpitudine: si tamen ex illo timore non movetur efficaciter ad fugiendam turpitudinem. Quia ergo verecundia de se non est actus efficax, sed timor per modum displicentiæ, non habet statum virtutis, sicut pœnitentia, cuius actus est omnino efficax ad fugiendam peccatum, quantum fieri possit. Bene igitur S. Thomas colligit, Verecundiam non esse virtutem ex eo, quod supponat turpitudinem præsentem: nam licet illa illatio formalis non sit, ut vidimus, est tamen bona in iis actibus, qui ex obiecto opponuntur cum turpitudine, & tamen illam non expellunt, quia sunt inefficaces: ij enim si efficaces essent, non posset compati secum turpitudinem præsentem, & in hoc etiam fortasse sensu dixit Aristoteles dicto cap. ult. *pudorem viri prohi esse non posse, cum ob malas res exoritur: neque enim agenda res eiusmodi sunt, quasi diceret, pudorem non facere virum probum, quia non facit cum amplecti efficaciter honestatem, sed inefficaciter, quod pudoris nomen significat & per consequens efficaciter eligit turpitudinem, non obstantem pudore.*

Secundò obicitur potest, quia Pœnitentia supponit peccatum: ergo non est expetibilis, ergo non est virtus. Respondetur facile, etiam medicina supponit morbum, & tamen est expetibilis & quidem ante morbum est expetibilis conditionatè, post morbum verò absolute: ita se habet pœnitentia, quæ est secunda tabula post naufragium. Dices: ergo non est expetibilis, nisi per accidens: ergo non est virtus, quia virtus est per se expetibilis. Respondeo non esse de ratione virtutis, quod sit expetibilis per se, hoc est, nulla facta suppositione: sed quod sit per se expetibilis, id est, gratia sui, præscindendo ab omni alio motivo, siue hoc sit ex suppositione, siue non.

Tertio obicitur, virtus cum delectatione exercetur, pœnitentia autem est tristitia, ergo non est virtus. Respondeo: non solum virtutem, sed omnem habitum elicere suos actus cum delectatione, quare hoc argumento probatur, non solum non esse virtutem, sed neque habitum. Respondetur ergo facile, habitum operari cum delectatione, ut delectatio significat alacritatem, & facultatem, & opponitur difficultati, & labori, non verò ut opponitur tristitia: nam quò interior est habitus, eò magis tristitiam, quando amittimus eius obiectum.

Omitto alias objectiones leniores, quæ solum tendunt ad probandum, Pœnitentiam non esse perfectionem simpliciter simplicem, & idè non esse in Deo: item neque posse stare cum impeccabilitate Christi: quia supponit peccatum, sicut neque etiam medicina potest stare cum incorruptibilitate: Ceterum ex hoc non fit, pœnitentiam non esse perfectionem simpliciter, & absolute, quod sufficit ad rationem virtutis.

Quartò obicitur potest, quia virtus debet habere obiectum bonum: sed pœnitentia obiectum non est bonum, sed malum: nam odium, & fuga non potest esse boni, sed mali: ergo non est virtus. Hæc occasione oportet

oportet examinare, quomodo actus odij possit tendere in obiectum bonum, de quo sect. seq.

SECTIO II.

Utrum actus odij, aut detestationis possit esse virtuosus, & honestus ex obiecto. Ubi an possit dari actus mera fuga, qui non sit amor obiecti?

8.
Tunc dicitur
mali.

Ratio dubitandi est, quia honestas in actu bono, quæ provenit ex obiecto, debet supponere, obiectum in se ipso esse bonum, & honestum bonitate obiectiva: nam sicut ex veritate obiectiva obiecti, actus intellectus dicitur verus; ita ex bonitate obiecti actus voluntatis dicitur bonus: odium autem, vel detestatio non possunt accipere bonitatem ab obiecto; nam obiectum odij non est bonum, sed malum: bonum enim non potest movere ad odium, sicut nec malum ad amorem, & quidem, si bonum odio haberetur, iam actus odij non esset bonus, sed malus, sicut amor mali esset etiam malus, quia non esset iuxta merita obiecti; ergo odium, vel detestatio non possunt accipere honestatem ab obiecto.

Aliqui facile se expediunt ab hac difficultate dicendo, nullum esse actum voluntatis, qui sit mera fuga; nam licet aliqui eo modo explicentur per modum fugæ: tamen vera omnes sunt actus; prosecutionis, & per illos amamus, & volumus aliquod obiectum: qui enim odit dolorem capitis, v.g. vult per illum actum carentiam illius doloris, quam carentiam amat, licet explicetur à nobis per nolitioem doloris. Ita sentiunt aliqui, quorum sententiam referunt, & ex parte approbant Salas 1. tom. in 1.2. rr.9. disp. 3. sect. 2. in 3. & Suarez in 1.2. disp. 1. de passionibus sect. 7. n. 2. qui utuntur exemplo intellectus in quo non datur actus, qui non sit cognitio, atque adeo ipsemet dissensus intellectualis, quem explicare solemus per modum fugæ: tamen vera est assensus, & affirmatio, nã dicere, quod Petrus non currit, est affirmare falsum esse, Petrum currere: sic ergo voluntas nunquam operatur, nisi volendo, & per consequens sepe fertur ad aliquid sine positum, siue negativum, quod sit volitum per ipsam etiam actum odij, & detestationis.

Verius tamen videtur, posse dari in voluntate actus mera fugæ, per quos nihil formaliter ametur, licet forte virtualiter, & æquivalenter contineant amorem, ut postea videbimus. Quæ videtur esse sententia S. Thomæ 1.2. q. 29. art. 1. & 2. ubi condistinguit odium ab amore penes diversam essentiam, & diversum modum tendendi, quem uterque ille actus habet: eamque sententiam amplectuntur communiter Theologi, & Philosophi recentiores: de quo videtur potest Arriaga in cursu Philosophic. disp. 7. de anima sect. 1.

Probatur autem experientia, quam, nisi obstat ratio aliqua multi ponderis, negare non debemus: experimur enim, diverso modo se habere voluntatem nostram quando habemus odium, ac quando amamus; amor enim suavis est, & dulcis: odium è cõtrà asperum, tigidum, non ergo amamus, quando odio habemus: nam si æquè esset amor tenebrarum actus, qui est odium lucis, sicut amor lucis est amor ipsius; experiremur, nos ita affici erga tenebras per primum actum, sicut erga lucem per secundum. Nec satisfacit si dicas, idè illum actum appellari odium lucis, licet formaliter sit amor tenebrarum, quia virtualiter est odium lucis, volendo enim tenebras, fugimus lucem: hoc inquam, non satisfacit, P. Ioan. de Lugo, de Penitentia.

quia propter eandem rationem actus, quo amor lucem, deberet dici odium tenebrarum; tam enim odit tenebras, seu carentiam lucis, qui amat lucem, quam odit lucem, qui amat tenebras: ergo omnis actus amoris absque ullo discrimine debet appellari actus odij: Vel certè, si aliqui sunt actus peculiare odij, ferendum erit, eos non esse formaliter amorem obiecti contradictorij, sed formaliter esse solum fugam & recessum, licet virtualiter sint accessus ad formam contradictoriam.

Confirmari hoc ipsam potest ex actu tristitiæ, qui non videtur esse prosequutio formaliter, aut amor sui obiecti: tristamur enim formaliter de malo, seu de carentia boni, quam quidem non amamus, sed fugimus, & avertimur. Sicut ergo potest esse fuga mali præsentis, qua fugimus malum præsens sicut per gaudium amplectimur bonum etiam præsens; cur non poterit dari actus, qui sit fuga mali nondum præsentis, & dicatur odium; quemadmodum datur prosequutio boni nondum præsentis, quæ dicitur amor, vel desiderium.

Ad exemplum verò, quod afferunt de intellectu in quo non datur actus, qui sit mers recessus, aut fuga, sed omnis actus iudicii, sicut est cognitio, sic est affirmatio: Respondeo, me non invenire quoad hoc differetiam inter intellectum, & voluntatem: quare eodem modo existimo, secundam operationem intellectus non semper esse affirmationem, seu prosequutionem, ut ita dicam, vel adhesionem ad obiectum, quod negatur; sed aliquando esse fugam etiam intellectualem, recessum, seu discessum, per quem in rigore non affirmamus, sed negamus illud obiectum. Itaque sicut potest voluntas dupliciter tendere ad tenebras respuestas, scilicet vel per actum volitionis, quo dicat, *volo nō esse tenebras*: vel per actum fugæ, & odij, quo dicat, *nolo esse tenebras*, per quorum primum amat negationem tenebrarum: per secundum nihil formaliter amat, sed odit tenebras: sic intellectus circa tenebras potest dupliciter se habere; scilicet, vel per actum affirmativum, quo dicat, *tenebrae sunt*, vel per actum merè negantem, quo dicat, *non est lux*: per priorem affirmat formaliter tenebrarum existentiam: per posteriorem non affirmat, sed negat existentiam lucis: qui actus est recessus ab obiecto propter eius falsitatem, sicut prior actus, qui dicitur assensus, est accessus ad obiectum propter eius veritatem, & idè in Logica propositio in communi dicitur esse, in qua aliquid affirmatur, vel negatur: Ut indicetur, non per omnem propositionem obiectum formaliter affirmari, sed posse esse propositionem, per quam obiectum non affirmetur, sed negetur. Quare licet communiter, & minus strictè loquendo, ille, qui aliquid negat, dicitur etiam aliquid asserere, conclusio negativa appellari etiam solet assertio: tunc tamen vocabulum illud largius usurpatur, prout, *asserere*, est idem, quod iudicare, seu decernere, siue affirmando, siue negando. In quo etiam sensu dicitur velle ille, qui habet odium, seu nolitioem lucis: prout scilicet, *volitio* significat quemcunque actum voluntatis, siue sit prosecutionis, siue fugæ: loquendo autem strictè, non est verum quod voluntas non operetur nisi volendo; nam operatur volendo, & etiam nolendo, seu consentiendo, & etiam dissentiendo: & quando habet solam nolitioem, nihil vult, sed positivè non vult, & reicit obiectum.

Dices, ille, qui negat, hominem esse lapidem, non solum habet pro obiecto, hominem esse lapidem, sed etiam negationem, quæ significatur per illud, *non*: Neque enim significat, aut dicit, hominem esse lapidem, sed potius; hominem non esse lapidem: illam autem negationem non negat, sed affirmat: ergo ille actus non est merè fuga ab obiecto, sed est assensus.

12.

13.

In intellectu
an datur me-
ra fuga

14.

Negatio an sit
obiectum in
dissentiu